



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

habendus est, vt minus pro tempore dilectus, non vt ini-
micus existimatus, diabolo in perpetuum mancipandus.
Cognosco illum, inter illas simultates ac turbines con-
tra multorum studia, non dico qualia, diuersa sensisse, &
hinc cum res ac calamitates ipsæ emendatae sint, adhuc
Dizoniani & Cyriaci subdiaconorum non potuisse apud
vos commendationem reuiuiscere. Compescite, quæso,
ab illo prædictisque, quorumcumque videtis animos ac
non iustas æmulationes, vt ipse apud nos integer, apud
vos, cum suis reparatus, mereatur pacem, non fidam per-
uidens caritatem. Omnibus igitur vobis ac singulatim
occurrat caritas, & vinculis, quæ nullis modis a Christo
soluuntur, vobiscum pariter in perpetuum connexa, læ-
tetur in Domino. Datum Idibus Decembris, Constantio
viro clarissimo consule.

N O T A E.

^a *Epistola ad episcopos.*] Hæc est illa epistola quam Innocentius reddidit ad Synodum Macedoniae prouinciale, ex qua pro confirmatione rerum gestarum, missa est legatio ad Innocentium papam, per Vitalem archidiaconum. De qua Synodo infra.

^b *Nam cum Moses legislator clamet.*] His verbis non vult dicere Innocentius nos legibus Iudaicis teneri, sed vult argumentari a simili, vel potius a minori ad maius, hoc modo: Tenebantur sacerdotes veteris testamenti, non ducere vxorem viduam: ergo multo magis conuenit, vt in sacerdotibus nouæ legis ecclesia requirat, ne propter excellentiam sacerdotii Christiani, viduarum mariti fuerint. Bellarm. lib. 4. de Romanis pont. cap. 10.

^c *Bonofus ordinauerat.*] De Bonoso eiusque hæresi vide notas Concil. Capuani supra.

E P I S T O L A XXIII.

I N N O C E N T I I P A P A E I.

AD SYNODVM IN TOLETANA CIVITATE
constitutam.

- 1. *De Hispanorum reprehensione,* IV. *De commemoratione Niceni qui inordinate constituerunt clericos.*
- II. *Vt causidici, vel curiales, vel seculari militia dediti, ad clerum non admittantur.*
- III. *Vt quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur.*
- Concil. Tom. 4.
- IV. *Concilii, in quo supradicta prohibentur.*
- V. *Quales eligendi sunt in ordine clericorum.*
- VI. *De eo qui ante baptismum uxorem habuit, & post baptismum etiam, ut clericus non fiat.*

G